Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2921

Quelle:
Copyright:

Orationes ſequuntur, quae in *Pez.* praecedunt. Hic numerat *Orationes* VII. Noſter non niſi IV. et tamen harum prima: *Deus qui maxima quęque ſacramenta* &c. inter *Pezianas* non eſt. Poſt *Orationes* in Noſtro legitur haec Rubrica: *Poſt coniurationem autem et benedictionem aquę. exuat illos ueſtimentis eorum. et faciat illos per ſingulos oſculari ſanctum euangelium et crucem chriſti. et poſt hec de ipſa aqua benedicta aſpergat ſuper unum quemque* (et) *coniurat eum bis uerbis. Adiuro te* &c. Formulam habet *Pez.* ſed non rubricam, neque *Verſus*, quos Noſter poſt Aquae benedictionem dici jubet: *Exurgat deus et diſſipentur* &c. neque ſequentem Rubricam ult. *Tunc ſtatim proiciet eos in aquam. Hęc omnia debent ieiuni facere. neque illi* (Miniſtri?) *antea comedent. quam ipſos mittunt in aquam.* His adjectum eſt initium *Ordinis ad Caldarium et Ferrum* ut apud *Pezium col.* 635. ſed Librarium ſpatium deſtituit. Itaque quemadmodum jam a *fol.* 2. ad *fol.* 84. ſaltaverat, inde rurſus *fol.* 133. vacuam nactus membranam reliquum eo tranſtulit, quod incipit: *Interdico tam tibi quam omnibus o homo* &c. ubi *Pezianus* Codex *Miſſam* inſerit, ibi noſter ad *Miſſam* in *Ordine Aquae frigidae* jam poſitam provocat. Sequitur *Benedictio ignis, aquae et ferri*, ubi praeter *Litanias* Orationes ſeu Benedictiones tantum quinque, quarum ultima trajecta ad fol. 154. p. 2. habentur, adeoque pauciores quam in *Peziano.* Orationem interea, quae incipit: *Omnipotens Deus te ſuppliciter rogamus* &c. ille *Ordini Aquae Frigidae* inſeruit. Ejusmodi porro leviores differentias obſervare eſt in ſimilibus Ritibus *Purgationum* ſive *Iudiciorum Dei* apud *Goldaſtum*, *Baluzium*, *Martenium*, *Ducangium*, *Mabillonum*, *Muratorium*, alios.

II. *fol.* 6. *Incipit Liber Enchiridion Sancti Auguſtini Porinienſis* (ſic) *Epiſcopi Ad Laurentium Primicerium Urbis Romę.* Praeit Elenchus *Capp.* LIIII. ſub picturatis, ut jam ſupra innui, Porticibus. Textus cum edit. *Maur.* T. VI. *Opp. Aug. col.* 194. collatus ſat caſtigatus eſt, idque debet Viro docto et ſolerti, in cujus Acta et Scripta operae pretium foret, diligentius inquirere, quam hactenus factum novi, cujusque ne Patriam quidem in *Lexico Jöcherus* prodidit. Ita ille ad *Cod.* calcem: *Menradus Moltherus Auguſtanus Sacrarum literarum Profeſſor, liberalium Artium magiſter IIII. Non. Feb. Anno Sal. MDXXXI. Spirę Collatum cum aliis ejusdem uetuſtatis exemplarib. reſtituit.* Non ſemper tamen optima in emendando fortuna uſum eſſe *Moltherum*, ille C. 5. nobis *fol.* 7. p. 2. locus: *inchoari fide, perfici ſpecie*, oſtendit, ubi *to ſpecie*, quod *Codex* habebat, in *ſpe* mutavit, cum *Auguſtinus*, licet in *Enchiridio* de Fide, Spe et Caritate illi eſſet tractatio, hoc tamen loco manifeſte ad illud Apoſtoli II. *Cor.* V. 7. *Per fidem ambulamus et non per ſpe-*